

Christum, ut obtineam vitam æternam. i. e. ut per fidem tanquam medium à Deo à parte nostri ordinatum, quatenus tamen fundamentum est in merito Christi, adeoque relatè acceptam, acquiram vitam æternam; ità eadem autoritate salva dicere possum: Bona Opera esse facienda, ut per illa, quatenus sunt fructus veræ fidei per Spiritum S. in renatis effecti, Deo nostram obedientiam debitam declaremus, & tandem ad vitam æternam pertingamus, eamque *apprehendamus*, atque *indubie colligamus* ex hoc externo ac fidelibus infallibili signo, operum relucientium in nobis, nos ad vitam æternam prædestinatos esse, hoc enim est ἐπιλαβέσθαι τῆς αἰωνίας ζωῆς, apprehendere & infallibiliter colligere, se ad illam vitam à Deo electum esse. Conf. 2. Tim. 2, 10. ubi part. ἵνα non infert præcise effectum, scil. salutem æternam propter patientiam Pauli electis supervenientem, sed occasionem atque ansam salutis infert, quæ postmodum aliis legitimis mediis, in specie autem fide in Christum, ad effectum perducitur. Ità etiam h. l. Apostolus jubet dictis operibus studere, ut exinde ansam capere possint vitæ æternæ consequendæ, quod fit, fidem per illa opera exercendo, seque ipsos hâc ratione de suâ salute certificando, cum vera fides non aliter nisi ex operibus cognoscatur, adeoque ex operibus tanquam certis notis fidei, in spem ac fiduciam vitæ æternæ veniendo.

## IN II. EPIST. AD TIMO- THEUM.

### CAP. I.

#### Verf. 1.

**P**Aulus Apostolus Jesu Christi (per voluntatem Dei) circa promissionem vitæ, quæ est in Christo, i. e. Legatus circa Evangelium, quod continet promissionem vitæ. Κατὰ cum Accusat. est circa sicuti על יום טוב בנו 1. Sam. 25, 8. circa diem lætum venimus, zur guten Zeit. Κατὰ pro περί vel ἐν, i. e. quod attinet promissionem.

V

6.7. Opor-